

tit metalla imperfecta, & argentum viuum ad perfectorum naturam transformare. Propter quod Ioannes Scotus & multi alij philosophi dicunt, & concedunt esse verum, quod metalla transmutari non possunt quocunque modo vel ingenio, nisi prius reducantur ad suam primam materiam.

Prima autem materia omnium metallorum est argentum viuum & sulphur, non quidem in natura sua, sed alterata, id est conuersa in vaporem. Et sic prima materia metallorum, prima materia metallorum est vapor humidus vniuersos, utriusque naturam, sc. sulphuris & argenti viui in se continens. Ex his ergo necessario sequitur, quod si per artem potest extrahi huiusmodi vapor vniuersos ex his rebus in quibus est, & reperitur consimilis illi, qui in mineris terrae generat metalla, poterit confici medicina, quae simplicia corpora imperfecta, & supra argentum viuum projecta perducat in verum & perfectum corpus metallicum longius perfectum omni naturali. Sed sciendum est, quod haec medicina ex quibusdam facilius & verbierius, ex alijs vero difficilius ac imperfectius extrahitur, siue sint ipsa metalla, siue aliæ quælibet res. Sed hoc fieri non potest, nisi tales res prius per putrefactionem corrumpan- tur, & per debitam decoctionem ac longam digestionem, a- liam nobiliorem formam acquirant.

Secundum etiam fundamentum, quo argumentantur contra, non cogit, & ratio nostra est, ut inquit Geber in sua Summa magnæ perfectionis Cap. XI. in quo pertractat confutationem rationum, artem simpliciter negantium, & est; quoniā aduersario in suo arguendi modo non cadit necessitas, quo quis ad pauca respiciens, coartatur credere arte hanc non esse veram: quia à simili, vel à maiori ad minus, suam corroborat phantasiam & errorē, in quibus non continentur necessitas, sed tantum contingentia ut in pluribus. Amplius, certum est nostris temporibus, quod paucissimi reperiuntur philosophi, qui secreta naturae cognoscant, imo illa querere & cognoscere negligunt. Et ideo debitis operationibus res imperfectas meliorare & perficere nesciunt: & plerumque ignorant aptas ab ineptis, propinquas à remotis discernere. Et propter hoc multi deuiant & desipiunt. Veteres autē philosophi altioris erant ingenij, & in operando studiosiores. Nā, ut ait Ludouicus Lazarelli: Philosophi propter cognoscenda profunda secreta naturae, ausi sunt aliquoties antra

QQ. 3

sub-

J.B.

vum materia

Solutio secundū  
argū.

Veteres Philo-  
sophi inge-  
niosi  
res.